


1. Kennis [illegible] variae circa modum agendi medicamentorum in genere. Argent. 1760.
2. Frison Positiones tumultuariae de Haemorrhoidibus. Argent. 1754.
3. Girard de enematibus intestinalibus. Argent. 1762.
4. Mathieu. Febris malignae historia morbillosae Argent. 1768.
5. Ehrmann de morbo catharhali benigno. Argent. 1762.
6. Fried de Jure obstetricium. Argent. 1760.
7. Stoll de Mercurii in solidis corporis humani haerentis noxa. Argent. 1760.
8. Kurschner de fonte medicato castenacensis. Argent. 1760.
9. Schenkbecher de febre stomachica intestinali. Argent. 1760.
10. Herrmann de Rosa. Argent. 1762.

1. à Greyer. Casus de ex[illegible] ... [illegible]
lis schirrhosis con[illegible]
12. Risler de Tumoribus cysticis [illegible]. Argent. 1766.
13. Buchholz de Hepatomphalocele congenita. Argent. 1766.
14. Waser de Recessu ossium nasi. Argent. 1766.
15. Auran de Elinguis feminae loquela. Argent. 1766.
16. Weiler de Animalibus nocivis Alsatiae. Argent. 1766.
17. Weiler. Herniae gangraena corruptae casus et epicrisis. Argent. 1766.
18. Morgenbesser de Foetus non vitalis partu dirigendo. Francof. ad Viadrum. 1766.
19. Hartmann Fasciculus plantarum. Francof. ad Viadr. 1766.
20. Pollich de Nutrimento incremento statu ac decremento corporis humani. Argent. 1763.
21. Weber. Praecipua circa Pathologiam haemorrhoidum notanda. Casselis Hassiae 1758.
22. Göring de Hymene. Argent. 1763.

32

Q. D. V. V.

DISSERTATIO MEDICA

SISTENS

COGITATIONES VARIAS CIRCA MODUM AGENDI MEDICAMENTORUM IN GENERE.

QUAM

NUMINE SUPREMO FAVENTE

EX CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRO LICENTIA

GRADUM DOCTORIS

RITE CONSEQUENDI

DIE III. JUNII A. R. S. MDCCLXIII.

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI PROPONIT

AUCTOR

HENRICUS KENENS

BERUVIENSIS LOTHARINGUS,

AA. LL. ET PHILOS. MAGISTER.

ARGENTORATI,

Typis JONÆ LORENZII, Typograph.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

ILLUSTRISSIMO,

EXCELLENTISSIMO AC GENEROSISSIMO

DOMINO, DOMINO ANTONIO MARTINO DE CHAUMONT

EQUITI,

MARCHIONI DE LA GALAIZIERE

CANCELLARIO,

LOTHARINGIÆ ET BARRI

SIGILLORUM CUSTODI


SUPREMO,

CONSILIORUM POLONIÆ REGIS

PRINCIPI

JUSTITIÆ ANTISTITI
MUSARUM PATRONO
DOMINO
AC
MÆCENATI SUO
CLEMENTISSIMO,
HASCE
STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS
IN
DEBITUM CULTUS ATQUE SUBMISSIONIS
TESTIMONIUM
D. D. D.

HENRICUS KENENS.



O. A. M. D. G.

DISSERTATIO MEDICA
SISTENS
COGITATIONES VARIAS
CIRCA MODUM AGENDI MEDICAMENTORUM IN GENERE.

§. I.

MEDICAMENTUM eſt corpus quodcumque naturale, hoc eſt vel animale, vel minerale, vel vegetabile ſive ſimplex ſit, ſive compoſitum, aut variis artificiis paratum, ſolidorum fluidorumque vitia mutandi, læſaſque reſtituendi functiones virtute donatum. In ſtrictiori ſenſu, Medicamentum eſt corpus, quod ſive intus ſive extus applicatum, ſalutarem mutationem in corpore animali producit. Agunt Medicamenta I. receptione ſuî, quia pro corporis illiuſque actionum indole hæc receptio contingere videtur. Agunt II. pro ſua virtute, quam habent ab ingredientium principiis ſeu partibus ſui conſtituentibus. Itaque de modo agendi medicamentorum diſſertaturus conſultum duxi brevibus & phyſiologicum & pathologicum corporis ſtatum exponere, ut

 eo

eo clarius & quæ medicamento propria ſunt ſub eorum actione, & quæ corpori vivo attribuenda ſint perſpiciam.

§. II.

Conſtat Corpus Humanum ex ſolidis fluidiſque partibus; formant ſolida cavitatem a corde uſque ad omnes corporis partes continuam, omnes ſic partes, cum reliquis vel immediatè vel mediatè communicant; ſolida fluidis ſemper pleniſſima ſunt, quæ ſolidorum more, etiam communicant inter ſe, ſi modo vaſa ſecretoria atque in iis ſecreta excipiamus. Propelluntur liquores ex cordis ventriculo ſiniſtro in aortam arteriam fluento & vertiginoſo motu ad omnes corporis partes, omnesque exceptis excrementitiis, per venam cavam cordis ventriculum dextrum requirunt. Regularis liquidorum motus ſanitatem, irregularis vero morbum creat, a deficiente in toto corpore horrida mortis imago. Sanitas itaque in æquali fluidorum motu & æquabili ſolidorum reſiſtentia in omni parte conſiſtit. Morboſus vero eſt ſtatus ille ſive ſolidorum ſive fluidorum, cum hæc inæqualiter moventur, majoremque faciunt in unam quam in aliam partem impetum, illa verò vel inæqualiter reſiſtunt, vel premunt liquida in una vel in omni parte cum doloris ſenſu: Sic turbatur motus, vel impeditur, vel ſiſtitur. Hic ſtatus objectum medici eſt. Tribus modis cauſæ oblati æquilibrii tolluntur idemque reſtituitur, diæta nimirum chirurgia & pharmacia, quæ ultima de medicamentis ſpeciatim tractare ſolet.

§. III.

Liquores in corpore noſtro moti conſtant moleculis minutiſſimis, quæ tactui leviſſimo cedunt & in ſe invicem

cem arietant: vel inteſtino motu vel progreſſivo, vel novi liquidi admixtione: omnes uno ſanguinis nomine venire ſolent, qui dividitur in diverſæ indolis particulas, interim ſolida, quibus contineri ſolent præmittere ſtatui.

§. IV.

Sunt ea vel cava, vel cavitate deſtituta: perſpiratio ſanctoriana, fluidum ex quantumvis minuto vulnere acus ope facto effluens, per totum corpus vaſa, eaque minima diſtribui. indicant, imo oſſa ipſa animalium rubia paſtorum non niſi per minima vaſa tinguntur. Vaſa omnia parietes habent, atque cavitatem determinatam liquido vehendo: vis parietum contractilis excedens liquidorum reſiſtentiam cavitatem imminuit, ab horum defectu tota obliteratur, exemplo venæ umbilicalis, urachi &c. Sic conſtituuntur fibræ, membranæ, & canales: hæ partes in ſolidis mirificè diſpoſitæ & connexæ, perfectas actiones & uſus perfectos præſtant. Differunt ſolida pro majori vel minori cohæſionis gradu, & pro diſtincta propriaque irritabili indole, quibus & elaſticitatem diverſam non immeritò addideris: differunt & pro varia ætate, & temperie, quæ enim Infantibus laxa ſunt, debilia & tenera ſenſim robur acquirunt & firmitudinem donec in debito ætatis incremento craſſiora fiant & robuſtiora omnia. Senes vero rigeſcunt, duriores & compactiores ſolidas partes habent; hinc carnes animalium vetuſtiorum longiori coctione indig nt.: Eadem ratione vegetabilia tempore & ætate lignum duriſſimum formant. Fœminarum textura plerumque tenerior eſt & irritabilior, ideo cerebrum mobilius habent, nec injurias facile ſuſtinent, & forte frequentioribus animi deliquiis afficiuntur. Qui temperamenti

 chole-

cholerici ſunt, ſolida habent duriora cum irritabilitate majori conjuncta, modicam magis duritatem ſanguinei habent cum vi irritabili minori; minor adhuc durities eſt phlegmaticis cum parva irritabilitate, melancholicis vero duriora ſunt omnia & maximè irritabilia. Aër, victus ratio, & motus multum ſolidorum robur variant; quies laxitatem facit debilitatem, & ad motus impotentiam. Morbi ſolidorum vel ad augmentum cohœſionis, vel irritabilitatis, vel ad utriuſque imminutionem referri queunt.

§ V.

In ſolidis humores continentur, qui omnes originem ducunt a ſanguine, hic totus fluidus eſt, hanc fluiditatem habet ab actione parietum & motu, nam quieſcens coagulatus apparet. Sauguinis proprietates ſunt vel generales, id eſt, quæ aliis liquidis competunt: vel ſpeciales. Generales ſunt I. quod potius patiatur quaſdam partes avelli, quam totum moveri, II. quod conditiones ad fluorem neceſſarias habeat. Cuilibet denique fluidi noſtri particulæ ſua propria eſt & determinata moles figura, & mobilitas. II. Quælibet particula cum ſibi affini in concretionem tendit III. ſua cuique eſt ſpecifica gravitas. IV. Vario motu projectili fluere urgentur in noſtris vaſis. Reſpectu quatuor prædictorum variis modis peccare poſſunt fluida. I Reſpectu molis idque dupliciter poſſunt enim particulæ vel nimis magnæ eſſe vel nimis tenues. II. poſſunt variam induere acredinem. III. nimia duritie vel ſoliditate peccabunt. Hæc ſunt vitia fluidi partium ſeorſim a maſſa conſideratarum.

§. VI.

Sed et ſanguis quoad totam maſſam conſideratus no-

nomen fluidi retinet, quia in particulas admodum minutas divisus est, II quia particulæ illæ ab invicem separari facile queunt. Vitia sunt I. nimia cohæsio, II. Dissolutio. Cohæsio quæ & alias lentor dicitur oriri potest a nimia particularum singularum magnitudine, vel a nimio earundem ad cohærendum conamine. Causa hujus lentoris est I. Exhalatio partis fluidioris. II Caloris gradus naturalem corporis nostri calorem excedens. III. Frigus immensum quo coagulari possunt nostra liquida. IV. quies humoribus superducta, quæ in iisdem ferè omnibus, prælertim arteriosis, coagulum producit. V. causa est corporum omnium sanguinem coagulantium admissio. VI. motus nimius, qui enim exercitiis violentis dediti musculos suos plurimum movent, sanguine crasso donantur. Cohæsio imminuta nimiam sanguinis fluiditatem constituit.

§. VII.

Movetur sanguis in vasis projectili & intestino motu: pauca de projectili a quo & intestinus oritur, & vita sanitasque dependent, addere liceat: intelligo enim motum per vasa circulatorium; Augetur hic motus à motu corporis aucto, ab imminuto imminuitur; Ejus incrementum vel decrementum causa plurimorum morborum evadit. Causa hujus motus primaria cor est, secundaria vasorum elasticitas. Circulatio sanguinis acceleratur. I. a cordis pulsuum frequentia, II. ab aucto illius robore, III. ab aucta mole sanguinis, posito eodem intra datum tempus pulsuum numero, velocitas enim pendet a pressione unius particulæ in aliam. Circulationem retardant I. Vis cordis imminuta, II. Vasa debiliora & minus elastica, III. Ineptitudo ipsorum

liquidorum ad motum, attendendum denique eſt quod motus fluidorum in vaſis majoribus ab illo minimorum determinetur quam maximè.

§. VIII.

Sanguinis totius particulæ ſeorſim conſideratæ §. V. diverſam habent gravitatem & indolem; hæc diverſitas facit diverſum cordis impetum in varias moleculas. Celerius moventur quarum denſitas major majorem impetum recepit. Figura commoda & minor ſuperficies minorem reſiſtentiam in fluido reperit, cum quo moventur, celerius moventur quibus per axin moveri contingit, ſive ex ſuo pondere, ſive ex directione qua ex corde exierunt, porro in convexitatem flexionum feruntur, quæcumque motu projectili excellunt, eæ vero repunt per concavitatem quæcumque majus gravitati aut lentori, minus motui projectili parent. Ita ſanguis ad ſecretiones diſponitur. Hallerus *in comp. Phyſiol.* §. 49. *p.* 90. Secernuntur ita & excernuntur quæcumque ſuperflua ſunt in humoribus, nec in liquores inquilinos mutari queunt; nec perinde eſt in qua proportione partes ſanguinem conſtituentes in corpore moveantur, omnia enim mutua mixtione & reſpectu impreſſionibus ſolidorum reſiſtere, & ab iis moveri debent.

§. IX.

Hæc de fluidis ſolidisque corporis noſtri partibus. Luſtravi brevibus quid ſingulæ ad ſanitatem conferant, quique vel ex parte vel in totum peccantes morbum conſtituant: nunc de actione medicamentorum in genere, poſtea vero de modo vitia ſolidorum fluidorumque mutandi tractationem inchoabo.

§. X.

§. X.

Et primò quidem indagandum quid medicamenta secundùm leges omnibus corporibus communes operentur. Agunt enim mechanicè & physicè: cognita mechanicas inter & physicas leges differentia, utriusque actionis proprietatem facilè declarat. Et quidem mechanicè agentia sequuntur vim impressam & determinatam, eorum actio ad figuram, massam, velocitatem, & motum referri solet; sic agunt instrumenta chirurgica, non quoad proprietates intrinsecas, sed extrinsecas, quæ cum ad sanitatem conferant medicamenta mechanica dici queunt. Propriè magis medicamentorum nomen attribuitur illis corporibus quæ physicè agunt; hæc actio a proprietatibus indeterminatis, inexplicabilibus, & a partibus insensibilibus & elementariis moleculæ dictis derivanda est: nam etiamsi figura opii ejusque qualitates mechanicæ forent perspectissimæ, nunquam tamen vis ejus narcotica exinde explicari posset.

§. XI.

Præmissa distinctione quæ est instrumenta inter & medicamenta strictè sic dicta, nunc quantum hæc ab alimentis differant videndum est. Alimenta deperditas per motum partes restituunt; Medicamenta verò cum ægris sanitatem restituant, morbosas conditiones mutandi virtute instructa esse debent, quæ cum merè conditionalis sit, semper sub usu vitium vel in solidis, vel in fluidis præsupponit partibus: cum verò medicamenta semper agant, in corpore sano vel nihil efficient, vel quod sanum est mutando, morbum facessant. Nonnisi vulgus Medicamentum absolutum & salutare semper dicet. Communis est medicamentorum cum alimentis actio, utrique machin-

chinæ noſtræ mutandæ poteſtas eſt, utraque nocent inconſulto adhibita: non niſi in minimas diviſa moleculas ſecundas vias intrare queunt; minus tamen alimenta irritant, quippe queis aſſueſcimus, medicamentorum verò rarius exhibitorum evidentior eſt effectus, conſuetudo uſum familiarem ſine noxa facit, ſic & venenis aſſueſcimus. Medicamentum inconſulto adhibitum venenum fit, ita & prudens veneni uſus illud in potentiſſimum medicamentum transmutat, recte enim vel perverſa ejuſdem corporis adminiſtratio ex eodem ſive Medicamentum ſive venenum facere poteſt.

§. XII.

Medicamenta ſunt vera corpora agentia in corpus noſtrum ſecundum leges omnibus corporibus communes: cum verò vis vitalis ſimul cum medicamentis agat, obſcura redditur medicamenti actio, nec rarò effectus ipſi tamquam cauſæ proximæ adſcribitur, qui ab eo vel planè non, vel remotè tantum pendet: manifeſta magis eſt propria ipſius actio, ſi nullâ habitâ vis vitalis ratione, in ſolum corpus conſideretur effectus: ſunt enim medicamenta quorum abſoluta patet in ſanguinem efficacia, quorſum referas 🜕 quod ſanguini e vena fluenti immiſſum, eundem rubicundiorem reddit & fluidiorem, huc ſpectat & 🜍 ☉ ♁ ii quod ſanguinem evidenter reſolviſſe viſum eſt: ſpiritus vini coagulat, & in grumos convertit cum +dis mineralibus &c. non magis obſcura eſt emolliens, atque adſtringens medicamentorum in cadavere efficacia. Corpora ſic agunt triplici modo inter ſe, vel quatenus unum in alterum movetur, vel pondere, vel adhæſione. Actio eorum quæ cum motu corpori noſtro applicantur, ab eorum quæ ſine motu adhibentur non niſi gradu

gradu velociori differre videtur; idem igitur eſt agendi modus: Gargariſmata, injectiones, ſtillicidia &c. exempla dant eorum quæ cum motu ad varias corporis partes determinantur, vel ſi velis actionem in linguam, fauces, œſophagum atque ventriculum conſiderare, in omni caſu cum motu adhibentur, ſub hoc vero motu ſenſibiliter non agunt, nec effectus a motu deſiderari ſolet: Maximam vero attentionem meretur ille, qui cum ſanguine a vi cordis & actione arteriarum imprimitur. Moles & pondus particularum nil vel parum efficiunt, niſi velis quod vario modo cordis vi reſiſtendo varias in ſanguinem impreſſiones accipiant, ſicque citius vel tardius ad ſecretiones diſponant. Qui a compreſſione in topicis deſiderantur affectus, quæ modo actionem juvet, modo impediat, hos vi extraneæ adſcribito.

§. XIII.

Motus & gravitas ex §. ant. determinant medicamenta, & in unam potius quam in aliam partem dirigunt: nec tamen hic eſt effectus medicamentorum proprius, ſupereſt ergo ut ſecundum adhæſionem, & affinitatem ſuarum particularum actionem ſuam exerant: & ſi quæ actio medicamenti determinari poſſit ex cohæſione cum fibris corporis noſtri vel cum particulis minimis fluidis, ea hoc modo phyſicè poterit explicari. Omnis actio a natura principiorum deducenda eſt, ſic a ſimplicibus ad compoſita ratiocinamur. Vis principiorum vel in mixtione vel in aggregatione ponitur, ab hàc compoſitas vires medicamentum recipit, ab illa vero, non niſi unicam. Multæ nobis ſunt cognitæ, plurimæ verò uberiori indagatione explorandæ latent.

§. XIV.

Non ſola tamen principia virtutes, licet cognita do-

cent. Odor ſapor, claſſis naturalis, analyſis chymica ſuſpicionem, nequaquam perfectam dant certitudinem: exactiſſimè enim cognitis corticis Chinæ ſubſtantiis, nequaquam de ejus vi febrifuga certus ero: nec organa noſtra ex corporibus producere queunt quæ violenti igni alias propria ſunt. Non niſi ſola & intima corporis mixtio vires conſtituit, corpus enim in infinitum fere diviſum, poſt ſuum etiam in corpore effectum & excretionem odorem ſuum urinæ & tranſpirationi ſolet imprimere. Interim ex codicibus materiæ medicæ magni & a me æternum colendi Profeſſoris mei SPIELMANNI ſequentes adducere liceat Canones.

1. Foſſilia inſipida, nec in ∇, nec in levioribus + ſolubilia nullos effectus in C. H. edunt.

2. Quæ cum acidis effervescunt, exſiccantes & abſorbentes vires habent.

3. Salia incidunt & ſtimulant.

4. Inſecta ſtimulandi & urinam movendi facultate pollent.

5. Partes animalium ad demulcentia pertinent.

6. Fortiori odore inſtructa nervos commovent, ſolida ſtimulant.

7. Quibus ſapor aquoſus eſt, ea laxant, diluuntque viſcida, lubricant, & demulcent; ſalſo & acido ſapore prædita ſalium naturam ſequuntur.

8. Quæ linguam ſtringunt & rodunt, adſtringentes rodentes & irritantes vires edunt.

9. Vegetabilia dulcia vires demulcentes & ſaponaceas habent.

10. Pinguia, inſipida emolliunt & laxant.

11. Amara fibras roborant, bilem ſupplent, vermes necant, mucum ſolvunt.

12. Acria debita doſi exhibita ſolida ſtimulant, fluida attenuant.

13. Auſtera vires adſtringentes exſerunt.

§. XV.

§. XV.

Hæc de diverſis principiorum viribus. Nunc ad modum per quem phyſicè hanc actionem producunt attendendum eſt: illum autem §. XIII. & cohæſione, & ſimilitudine materiali vel diſſimilitudine explicandum judico. Agunt enim in ſolida & liquida Corporis Humani, vel in utraque ſimul: in ſolida ea conſtringendo & relaxando: in liquida vel reſolvendo, vel incraſſando vel diluendo certas eorum particulas, vel totam maſſam: ſed nec ſolida nec fluida mutare queunt, niſi aggregationem particularum vel reſolvendo, vel firmando: Evincitur enim ſecundum *Compendium chymicum* clariſſimi Profeſſoris Spielmanni §. *XLVII. p* 43. „Quod aggregationis vinculum ſit affinitas quæ inter partes alicujus „corporis intercedit, hinc ſolutionis ratio erit affinitas major minimarum partium menſtrui, cum illis ſolvendi „quam ea eſt quæ inter has intercedit, inde quæ magis „affinia ſunt inter ſe, relinquent ea cum quibus minorem „affinitatem habent, adhærebunt ſibi invicem, & ita novam aggregationem, novum corpus formabunt, cujus „aggregationem ſolvens & ſoluta, quæ in unum confluxere conſtituunt. Dein §. *XLVIII.* Cum ſolutionis rationem ab affinitate quæ inter ſolvens & ſolvendum intercedit pendere oſtenderim, hinc facile deducitur quod „corpora in aliquo menſtruo ſolubilia aliquid de ejus natura poſſideant. Nonne ex his pulcherima de actione corporum phyſica in corpus humanum corollaria deduci „queunt? Annon ſpecifica ſic actionem ſuam exercent? „Annon pro varia, quæ ipſis intercedit & certos liquores „affinitas, vario illos modo ad ſecretiones diſponunt?

§. XVI.

Cum affinitas ſimilitudine materiali duorum corporum

fundetur, videri poſſet acſi acceſſu vel augmento ſimilis materiæ, materia peccans augeretur: dubium evaneſcet ſi ad attractionem duorum corporum neutiquam omnimoda ſimilitudo requiratur; dein penetrata aggregatione, corpora non ſemper agunt propria ſuà vi ſola, ſed vi compoſita ſic abſorbentia cum acidis primarum viarum coëunt formantque ex connubio ſalem medium egregiè reſolventem, incidentem, & laxantem primas vias. Ait enim BOERHAV. *Elem. Tom. II. pag.* 252. Ex alcali & acido acerrimis cauſticis ſola miſcela ſtatim oritur ſal neuter, blandus, frigefaciens nullo modo corrodens, ut ⏀ regeneratum, ergo materia peccans non augetur per attractionem affinium, licet id contingere queat, in incongruis medicamentis intempeſtive adhibitis.

§. XVII.

Ex dictis medicamenta agunt in illas partes cum quibus major ipſis intercedit affinitas. Illuſtrabunt hanc theſin ſequentia. Reſinæ propter partes ſuas oleoſas aquam reſpuunt, diſſolvuntur autem a ſpirituoſis, oleoſis, & ſaponaceis, cum quibus major ipſis eſt affinitas. Gummata propter aqueum principium, ab aqua recipiuntur, bilis verò ſaponacea repoſcit: ſic aquoſa ſanguinem inflammatorium non penetrant, ſaponacea verò egregiè reſolvunt. Alia fixa ſalia ex unione principii inflammabilis, terræ & acidi vegetabilis vi ignis factæ conſtant, hinc ex uno latere pinguedini & oleis, ex altero aquæ obediunt, hinc diverſa inter ſe uniunt, & egregiè reſolvunt & abſtergunt. Aqua pluvialis ſubtili pinguedine ſaponem ſolvit quem acidulæ in grumos coagulant. Agunt ſic medicamenta analyticè in ſolida ea roborando, conſtringendo, ſyntheticè relaxando, corrodendo

dendo &c. ſecundum eaſdem leges tenues fluidorum partes incraſſantur ad debitam conſiſtentiam, ſpiſſæ attenuantur ſi aggregationem deſtruant, vel etiam reſolvuntur. Innumera addi poſſent, quæ Theſin meam non ſolum probarent, ſed & clariorem redderent, verum vaſta materies paucis comprehendi nequit.

§. XVIII.

Tractata nunc, de phyſicâ medicamentorum actione, quæ tamen ipſa mutationum in corpore poſt acceptum medicamentum juſta non eſt, nec ſufficiens ratio, ad aliam cauſam inveſtigandam accingo me: Accedit enim irritabilitas ſeu vitale principium quod pro ſuo gradu cauſam animalium motuum in ſe continet. Meum non eſt hic in ejus naturam inquirere, cum certis Clariſſimi Halleri experimentis ejus exiſtentia clare demonſtretur. Acquieſcimus enim in virtute magnetis attrahendi ferrum, licet vim atque eventum ignoremus, ſufficiat ergo pro noſtro ſcopo animal ab hacce facultate regi motusque in corpore neceſſarios exequi, ſive ex voluntatis juſſu, ſive minimè, atque hæc facultas eſt quam ſequi verum oportet & genuinum Medicum. Unus enim ille de viribus medicamentorum aptè dixerit qui mutatam ab illis naturam, & mutantem alia obſervavit cautè. Ope horum adjuta natura morbos ſanat immediabiles. Boerh. addit Frider. Hoffman. non minimam eſſe prudentiam diſtinguere effectus remediorum ab effectibus ſolius naturæ. Etenim in morbo non ſola medicamenta agunt, ſed & natura. Videmus ergo medicamentorum effectus non ex ſola vi principiorum, ſed & ex indole partium, & natura motuum explicandos eſſe. Idque quia nullius effectus formalis aut virtus

quædam remediis inhæret, ſed omnem quam exercent in corpore humano obtineant demum ab ipſo.

§. XIX.

Cum verò irritabilitas ex varia ſolidorum textura varia ſit, hinc quam claritatis gratià in præcedentibus dedi ſolidorum ideam & huc referendam cenſeo. Agit in ſolida medicamentum, quæ viciſſim reagunt, ſicque in motum agitur, & quemadmodum motus ex congreſſu duorum corporum & reactione emergit, ipſaque vis motrix unius corporis ab alterius reagente modificatur, ita & medicamenta in noſtrum corpus agere ſolent. Effectus itaque medicamentorum ſunt ſpecies motus, ergo tam Corpori Humano, quam ipſi medicamento adſcribendi ſunt: ſiquidem nullum corpus per ſe movetur, ſed omnis motus perficitur ab alio. Ex his manifeſtum eſt, quod de medicamento ſalutaris a priori effectus difficulter prædicari queat: effectus enim utriuſque pendet ab illorum actione in corpus, hujuſque reactione, quæ non ſolum a parte fluidorum, ſed & ſolidorum ſimul expectanda eſt. Eleganter circa corpora effarunt veteres Philoſophi, dum ea non agere ſecundum ſphæram activitatis, ſed receptivitatis inquiebant, & ad edendum effectum non ſufficere tantum cauſam, ſed etiam ipſius ſubjecti diſpoſitionem legitimam requiri. Duo ergo advertenda ſunt ut ſalutaris vel noxius, ex remediis ſic dictis, in corpus invehatur effectus, ipſum nempe corpus quod pharmaci loco propinatur, & ipſum quoque corpus humanum, hæc invicem erunt conferenda, hic proportio, quærenda & indaganda, ut certus quem medicus intendit ſequatur effectus. Exinde ratio redditur diverſorum unius medicamenti effectuum. Ipſam texturæ di-

ver-

versitatem, cum alimentorum & pharmacorum facultate comparavit CELSUS *L. II c.* 20. his verbis: » Imbecillibus » hominibus rebus infirmis opus est, mediocriter firmos, » media materia sustinet, & robustis apta validissima est; & HIPPOCR. *L. de Locis in hom.* §. 55. *&c.* eadem sic conceptis verbis pronunciat: » medicamenta fortiora a natura » in debilibus morbis dari non oportet, ac paulopost: me» dicamentum singulis secundum naturam, debilibus debi» lia a natura, fortibus autem fortis naturæ pharmaca ex» hibenda sunt. Non mirum ergo quod eadem medicamenti dosis tam diversos in variis hominibus producat effectus, & cur idem purgans colicas, vomitus, motus febriles in delicatulis excitet, nec simile quid in fortioribus; non mirum quod interdum satis drastica inefficacia sint, interdum prorsus insuetum effectum producant. Ideo CELSUS *in Præfat. pag.* 19. » memoriæ prodi» dit, non eadem omnibus etiam in similibus casibus opi» tulari, & certas quasdam res esse, quæ in pluribus ven» trem aut adstringant, aut resolvant, inveniri tamen in » quibus aliter, ac in cæteris idem eveniat. Ergo qualis est diversitas motus atque sensilitatis in diversis corporibus, talis est imprimis medicamentorum operatio quo major enim est sensilitas corporis eo major erit energia pharmaci, & contra quo minor illa, eo debilior quoque hæc. Optimè id quidem illi norunt, qui febres malignas tractandas habent, quarum indoles ita comparata est, ut subitaneam sine causa manifesta virium prostrationem seu resolutionem, probe ab oppressione virium dignoscendam protinus ab initio inducant: his siquidem sæpius emetica sine effectu dantur, etiamsi duplo, triplove auctâ dosi. In affectibus soporosis, apoplexia, catarrho suffocativo idem accidit & pro defectu virium vario, debilior simul, emeticorum purgantiumque operatio existit.

§. XX.

§. XX.

Hæc de differentiâ irritabilitatis plurimorum individuorum: Aſt eadem vis motrix in eodem corpore non omnibus partibus, æquo gradu infuſa eſt, communicant tamen inter ſe partes, ſic ut ſi una pars movetur vel afficitur, cæteræ plures in conſenſum rapiantur. Exempla hujus irritabilitatis diverſæ, variarum partium ſufficientia leguntur in HALLERI *Traité de l'Irritabilité &c* obſervatur enim incute, fibra muſculari, ventriculo, inteſtinis, utero, corde, lingua, oculo, medullari parte nervorum, & quæ unam ex his partibus movent, ea alteram prorſus non afficiunt: nonnullæ enim a leviſſimis rebus etſi non acribus valdoperè irritantur, a fortioribus vero nunquam aut inſenſibiliter duntaxat. Perſpicimus ideo cur quædam agant in apicem linguæ ut ſal marinus, alia ab apice ad mediam ferantur, ut gentiana, alia baſin afficiant ut cuccumis aſininus. Sic abſynthium in pharinge, ſinapi in poſterioribus narium ſentimus. Confer. *Diſſertation ſur les medicamens qui affectent certaines parties du corps humain plutôt que d'autres, & quelle ſeroit la cauſe de cet effet. par Mr.* BOISSIER D. S. &c *a Bordeaux.* Gummi gutta, jallapa &c. linguam non afficiunt vehementiſſimè tamen primas vias, ſic bilis inteſtino duodeno familiaris in ventriculo nauſeam, cardialgias &c. producit, ſic ſanguis ventriculum fatigat, aqua limpidiſſima trachæam vehementer afficit, non vero mucus in ea ſecretus. Fruſtra ratio horum omnium in immutabili partium pharmaci compoſitione, & miſcela ſolis quæritur, quæ exiſtit in corporibus vi vitali donatis, & pro hujus diverſo gradu reagentibus.

§. XXI.

Patet ex dictis quam male agant illi, qui effectus medica-

dicamentorum mechanicis ſolis explicare conantur principiis: effectus enim nunquam major eſt ſuà cauſa. Quis vero tanta ſternutationis molimina ab uno hellebori grano producta huic proportionata vel æqualia dicet? Legatur D. Dan. Bernoulli *Hydrodyn. pag.* 81. ubi omnes machinæ eadem potentiâ abſolutâ, eundem effectum præſtant, ſi modo a frictionibus motibusque ad deſtinatum finem inutilibus animus abſtrahatur. Idem *ibid. pag.* 166. »Non deſunt qui putent machinam exco» gitari poſſe, cujus ope minimo labore aquæ quantitas ad » quamlibet altitudinem elevari poſſit, animumque ex» cruciant, in inquirendis rotis, vectibus, ſed operam » perdunt: neque audiendi ſunt hujuſmodi promiſſores. Hæc ſi non ſufficiant, cur eadem medicamenti doſis data hominibus diverſa vi vitæ præditis non eoſdem & vi ſuæ proportionatos ſemper producit effectus? cur nil præſtant deficientibus viribus & ſenſu? cur cantharides in corpore demortuo veſicas nullas elevant? cur parum vel nihil agunt ea quibus aſſueſcimus? cur medicamenta diverſæ virtutis diverſas etiam partes afficiunt? cur ſecundum Hippocrat. Natura ſibi invenit ad evacuandum viam; & licet ſine doctore, ea quæ opus ſunt, efficit? ad hæc natura diverſarum medicamenti molecularum multum quidem contribuit, nec tamen ipſa explicat, cur major fiat in hanc potius, quam in illam partem ſpirituum influxus præſente ſtimulo: non enim explicat cur irritata membrana narium potius motum ſternutatorium quam tuſſim vel alium pectoris motum producat: iidem enim nervi qui ſternutationem producunt, & tuſſis, ſingultus, ſuſpirii &c. cauſæ evadunt, Sic gutta aquæ ad epiglottidem tuſſim format, emetica vomitus cieunt, purgantia dejectiones alvinas &c. plura addere non libet præter illud Boerhavii diſſertum: In ſanandis tandem

morbis principatum obtinet natura . . . vix alteri quid natum in vivente vel aliunde ſuſceptum ut arſenicum, quæ molimina vomitoria? ut nocivum expellat quæ excitationes humorum, ut diluat, abluat, detergat, leniat &c.

§. XXII.

Ergo virtus medicamentorum ab eorundem actione in corpus, hujuſque pro vario irritabilitatis gradu reactione dependet omninò. Idem teſtatur memorabile exemplum a D. Jo. HENRIC. SCHULTZIO in ſua *Therapia generali* §. 633 ubi ſic legere eſt: » modus quo agunt adſtringentia plane eſt admirabilis, quippe ſæpius viſum » eſt, modicam ejuſmodi medicinæ portionem vix deglu» titam adſtrictionis effectum in loco remoto dediſſe. Sic » memini, me ipſum Halæ in collegio anatomico experi» mentum feciſſe medicinæ cujuſdam mineralis, inter Dip» pelii diſcipulos notiſſimæ, ubi cani menſæ alligato vivo » arteriam cruris aperuimus, & fortiſſime fluente ſanguine » guttulam unam vel alteram ori infudimus, quo vix facto » ſanguis ſalire deſinebat, inque ora vulneris coagulaba» tur. Rationem reddit §. 635. ubi aliquid e longinquo ſuſpicandi potius quam intelligendi locum faciunt per corpus noſtrum admirabili modo diſtributi nervi, qui non ſolum vaſorum tunicas paſſim ſubeunt, ſed quorum etiam inſignes & magnum artificium præ ſe ferentes plexus ramos vaſorum ſanguineorum paſſim circumdant & amplexantur &c. Idem teſtatur mirabilis effluviorum in C. H. efficacia, alii enim a roſarum odore in anxietates, lypothimias properantes præcipitantur BOYLEUS alii alvum ſolutam experiuntur. SCHULTZ *Mat. Med. p.* 181. aliud idem oſtendit, de inſigni vi opii inſiſtendo

ejulatu

ejulatu & abdominis contorſionibus §. 28. aliud in *Prælectionibus in diſpenſat. Brand. p. 21. edit. 2dæ* de inſigni vi lætificandi croci, quam illico in tenerrimis infantibus oſtendit, admoto ipſorum naribus vitro in quo nuper eſſentia croci fuit, ſiquidem ſtatim riſus ſuboritur. Huc ſpectant jam dicti inexpectati medicamentorum effectus qui a vitro antimonii obſervati proſtant, quod quamvis tam vehementer in nonnullis agit, ut etiam veneni naturam emuletur, & plus vice ſimplici ſphaceloſam corruptionem ventriculo induxerit, in quibuſdam tamen nil moliatur. Purgantia medicamenta quamvis fortiſſima ſpem ſimiliter interdum fallunt. De Eudemochio referunt Miſcellan. Nat. Curioſ. quod unò die 22. potiones hellebori albi aſſumpſerit, nec tamen vomitum, nec alvum exinde reſeratam ſenſerit. Dein varii effectus quos idioſincraſiis quidam adſcribunt nonniſi viribus motricibus attribuendos cenſeo, ſunt tales innumeri nec huc referri queunt. Turcas eadem doſis opii ad venerem ſtimulat & reddit animoſiores, quæ lethalem nobis induceret narcoſin: arſenico aſſueſcimus a minima doſi incipiendo, eamque continuato uſu parum ſemper augendo. Plura hic addere poſſem, præſertim ubi ſoli animi affectus, eadem ſæpe ac pharmaca in corpore videntur producere phænomena. Sufficiat indagaſſe actionem medicamentorum in genere, & ita quidem ut a priori difficilis ſit promiſſio effectuum, vanamque eſſe & temerariam panacearum omnium jactitationem, ſufficiat demonſtraſſe neminem poſſe mederi cui non natura corporum quæ quocumque modo ſumimus, cum fabrica corporis humani ejusque functionum indole ſunt perſpectiſſima. Tunc demum genuinus & honeſtus Medicus dici poterit cum Hippocrate deinde verò quid opus eſt Medicinæ fortunâ, ſi enim morborum medicamenta clara ſunt &

 mani-

manifesta, veluti quidem arbitror, non expectat sanè fortunam ad sanandos morbos, siquidem sunt medicamenta: si verò cum fortunâ ipsa exhibere prodest, non magis medicamenta quam ea, quæ non sunt medicamenta una cum fortuna exhibita sanos faciunt.

§. XXIII.

Expositis nunc breviter actionibus quæ tam ex natura medicamentorum, quam ab irritabili solidorum indole observari queunt, nunc brevibus, quo modo in solida & fluida corporis agant exponendum. Indagavi itaque, utrorumque tam physiologicam, quam pathologicam indolem: qui enim mederi poteris nisi cognito prius sanitatis termino? qui relaxabis, constringes solida, qui & fluida alterabis nisi quantum a sanitate deflectant perspexeris? Nec minus consideranda venit viarum dispositio, quæ quædam medicamenta recipit, alia impedit: Sic terræ absorbentes non ultrà primas vias actionem suam producere videntur, sic alia propter figuram commodam operantur in hæc potius, quam in alia viscera; hisce si jungas affinitatem materialem qua quædam potius sanguinem, quædam serum afficiant &c. orietur notio specificorum, unde anti-scorbutica, lympham corrigentia, hydragoga phlegmagoga cholagoga &c. alia vero caput, alia cor, alia hepar, alia stomachum, alia uterum, unde cephalica, cardiaca, hepatica, stomachica, uterina &c. Quamquam enim hæc affinitas totam actionem non exhauriat, tamen determinat, cur potius in hanc quam aliam partem fiat actio.

§. XXIV.

§. XXIV.

Determinatur itaque actio medicamentorum in solida ad constrictionem, incitationem & relaxationem, sicque eorundem cohæsio vel augetur vel imminuitur. Et constringentia I. quæ rationem aquæ ad partes terrestres imminuendo, fibrarum contractionem, augent, & incitantia quæ per impulsum & adhæsionem in latera, ea irritant, sensationem notabilem in iis efficiunt, & motum sic excitant huic sensationi proportionatum, varios pro varia parte & irritationis modo producent effectus. Fiunt enim primo sistentia & repellentia, quippe quæ fibras constringendo suam actionem producunt, exemplo lactifugorum, hæmorrhagias sistentium. 2. Roborantia. 3. Evacuantia, quæ omnia irritant, & constringunt certas partes, motuque facto tonico, evacuationem absolvunt. 4. Exhilarantia, analeptica, quæ blandissimè stimulando, titillationem nervis gratam inducunt, sicque motum naturali paulo majorem efficiunt. Altera actio est relaxatio, sub qua fibræ rigiditas & spasmus imminuuntur: augent relaxantia, rationem glutinis & aquæ ad partes terrestres, sicque solida demulcent, irritabilitatem imminuunt, & ab hac dependentes motus vitales & tonicos: hoc modo agunt Temperantia, Anodyna, Narcotica, & Antispasmodica.

§. XXV.

Fluida etiam, quæ intestino progressivoque motu continuò moventur suo etiam a naturali statu dum deflectunt, requirunt medicamina. Peccant autem dupliciter, vel quoad partes sui constitutivas, vel quoad totam massam, sicque vel nimia spissitudine, vel disso-

lutione, vel acrimoniâ quacumque: His vitiis medentur I. Resolventia. II. Incrassantia. III. Alterantia Quorum actio tam a motu intestino & progressivo promovetur, quam adhæsione absolvitur. Resolventia quidem a motu tonico incipiunt, sic ob gravitatem specificè majorem, majorem vim experiuntur, agunt in particulas tardiùs motas cunei in modum, sicque mechanicè earum aggregationem imminuunt, fluida sic dissoluta non amplius, resistent solidorum impulsui, accelerabitur circulatio, omnesque secretiones a nimia crassitie impeditæ restituentur. Incrassantia vero, quæ nimiam humorum fluiditatem consumunt, impediunt I. motum solidorum a quo hæcce resolutio dependebat, cum enim crassa sint & mollia corpora minus cedent impressioni, cujus enervatur actio, cohærebunt dissolutis particulis, atque novam cum illis aggregationem formantes, novam ipsis dant consistentiam & vim restituendi motus debiti. II. Incrassant omnia se & excretiones augentia, dissolvunt enim serosas particulas, atque eorum diametrum orificio vasorum secernentium proportionant: sic privatur sanguis particulis a quibus sola fluiditas. Alterantia tandem determinatas partes aggrediuntur, ipsarumque mixtionem penetrant, novumque ex connubio corpus constituunt licet quoad fluiditatem non multum mutare videantur: Sic absorbentia cum acido primarum viarum formant salem medium, sic acida agunt in febribus putridis sitimque & calorem imminuunt.

§. XXVI.

Hæ sunt simplices tantum actiones nec medico solæ sufficiunt: cum enim secundum Celsum non post rationem medicina inventa sit, sed post eam inventam ratio demum

demum quæſita fuerit, ad compoſitas potius attendere debemus, eas nimirum quæ ex actione ſolidorum fluidorumque ſimul excreſcentes, ſimul poſt effectum conſpiciendæ ſunt: Nullæ enim evacuationes fiunt, niſi alteratis primum fluidis & ſubſequente motu tonico: agunt itaque evacuantia vel ſtimulando ſolida, irritando ventriculum, Inteſtina, atque ſanguiferorum vaſorum tunicas, vel reſolvendo fluida eorumque ſecretionem promovendo Eodem modo agunt incidentia, emollientia, temperantia &c. Qui plura cupit adeat Magni BOERH. *Tractatum de viribus medicamentorum.*

Succiſas haſce, variaſque de viribus medicamentorum in genere ideas contexere me coëgit & temporis & ingenii auguſtia.

F I N I S.

Omnia ad majorem DEI Gloriam & Proximi Salutem.

